

I. Qui dimittuntur vel ejiciuntur e monasterio seu congregatione, post vota simplicia, eximuntur communiter ab obligationibus status religiosi, sive a voto sive a regulis procedant, et ad vitam sæcularem reducuntur.

Excipiendum tamen votum castitatis, si illud perpetuum emerint, independenter a statu religioso.

II. Religiosi ejecti, post vota solemnia, remanent religiosi quoadusque obtinuerint indultum apostolicum, de quo supra: quapropter 1º tenentur se emendare, ut iterum mereantur admitti in conventum fratrum; 2º interea obligantur suis votis, cum eo solum discrimine quod votum obedientiæ servant obediendo Episcopo loci in quo degunt; et possint, non obstante voto paupertatis, acquirere, possidere, commutare, aliosque actus necessarios facere ad sui sustentationem; 3º Sunt suspensi a functionibus ordinum, et vetitum ipsis fuit induere habitum suæ religionis, usquedum reassumantur in suum conventum. (Bened. XIV, de Synodo, lib. XIII, cap. XI, n<sup>is</sup> 20-27. Ferraris, vº Ejecti a religione, n<sup>is</sup> 40-70.)

ARTICULUS VI. — DE REGIMINE STATUS RELIGIOSI.

488. — Ultima quam aggredimur quæstio, requirit accuratam explanationem juris canonici, 1º de potestate superiorum regularium in ordinem quem regunt et religiosos qui sibi subduntur; 2º de jurisdictione Episcopis competente, sub quodam respectu, in regulares; 3º tandem de privilegiis quibus SS. Pontifices ordines regularium donarunt, ut illos a jure communi eximerent, quantum par erat, ad majus bonum procurandum. Sufficenter inde cuique perspectum erit quale sit regimen proprium status religiosi in genere.

De jure S. Pontificis in Regulares non disserendum; siquidem extra dubium est Pontificem Romanum esse primum Prælatum omnium ordinum religiosorum, a quo speciali modo pendent

omnes congregationes. Ut magis servetur intima illa unio ordinum cum Sancta Sede, plerique abbates generales et præpositi ordinum commorantur Romæ; cæteri habent in urbe commissarium, qui illos repræsentet et causas congregationis agat cum S. Pontifice.

489. — 1º *Qui sint superiores ordinum religiosorum?*

Superiores religionum et ordinum sunt, qui commissam habent curam religionis vel ordinis, vel alicujus provinciæ, monasterii aut domus. Dicuntur abbates, priores conventuales, præpositi generales, provinciales, guardiani, etc., pro diverso munere quod gerunt.

ABBATES SUNT superiores monachorum, seu monasteriorum proprie dictorum, v. g. apud Benedictinos, Trappistas: PRIORES CONVENTUALES sunt superiores monasterii cujus dignitas abbatialis datur clerico sæculari per *commendam*<sup>1</sup>. Hi priores æquiparantur abbatibus locorum, iisdemque juribus potiuntur pro regimine interno communitatis. Superiores mendicantium et clericorum regularium diversis nominibus designantur: sunt PRÆPOSITI GENERALES, PROVINCIALES, PRIORES, etc., et eliguntur juxta statuta sui ordinis.

Abbates regulares appellatione prælatorum veniunt, in sacris canonibus: alii sunt generales, qui multis monasteriis sub eodem regimine constitutis præficiuntur, v. g. abbas Cluniacensis, vel Cisterciensis; alii sunt locales, qui uni monasterio præsent. Insuper inter abbates, quidam habent, nedum regulares sibi subditos, sed etiam territorium proprium in quo jurisdictionem quasi-episcopalem exercent, ut abbates Cassinenses; dum cæteri habent tantummodo regulares subditos.

Post obtentam confirmationem, abbates benedicti consueverunt. Hæc benedictio facta est, decursu temporum, solemniori

<sup>1</sup> Abbates commendatarii dicuntur clerici sæculares quibus dignitas abbatialis data fuit in *commendam*, ut aiunt, id est fuit commissa cum jure fruendi beneficio temporali, et quibusdam prærogativis honorificis, ac onere providendi conservationi beneficii. De beneficiis datis in *commendam* dicemus in IIIª parte.

ritu, qui multas habet analogias cum consecratione Episcoporum, ut videre est in Pontificali. Cæterum abbates, etiam nondum benedictionem assecuti, habent titulum et jura suæ dignitatis: privantur solummodo jure conferendi tonsuram et ordines minores, nisi, privilegio apostolico, ipsis concessum fuerit haberi pro benedictis a S. Pontifice, eo ipso quo sunt electi et confirmati. (C. Petra, *Comment. in Const.* ix Pii II, tom. V, pag. 161. Ferraris, v<sup>o</sup> *Abbatibus*, n<sup>is</sup> 12-20.)

Variis officiis et titulis superioritatis, in conventibus religiosorum, respondent officia et tituli conventuum monialium, quæ et ipsæ habent suas abbatissas, priorissas, etc.

490. — II<sup>o</sup> *Quomodo eligantur superiores regularium?*

I. Superiores regularium constitui possunt immediate a S. Pontifice. Communiter primi superiores ordinum, qui scilicet nulli alteri superiori, intra eundem ordinem, subjiciuntur, nominantur per electionem capituli, ad quod appellandi sunt omnes qui, ex præscripto statutorum, jus habent, et non sunt impediti.

Ut quis eligi possit in prælatum, necesse est 1<sup>o</sup> ut sit professus in eodem ordine; 2<sup>o</sup> nulla irregularitate vel censura teneatur; 3<sup>o</sup> ætatem competentem habeat, id est, 25<sup>um</sup> annum completum. (Ferraris, v<sup>o</sup> *Electio*, art. II, n<sup>is</sup> 21-41; art. IV, n<sup>is</sup> 89-92.) Jus eligendi non aliis competit quam professis ejusdem ordinis, qui nulla irregularitate aut censura priventur voce activa. — « In electione superiorum quorumcumque, Abbatum temporalium et aliorum officialium ac generalium, et Abbatissarum, atque aliarum præpositarum, quo omnia recte, et sine ulla fraude fiant, in primis sancta synodus Tridentina districtè præcipit omnes supradictos (superiores quoscumque, abbates temporales, et alios officiales, ac generales) eligi debere per vota secreta, ita ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur... Si vero contra hujus decreti constitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita sit. » Sess. xxv, *de Regularibus*, cap. VI. Quapropter

non licet electionem facere per compromissum aut inspirationem, quia electiones alterutro hoc modo celebratæ, possunt ac solent fieri per voces publicas. (Ferraris, loc. cit., art. IV, n<sup>is</sup> 28-36.)

Electio prælati regularis non est collativa; confirmari debet vel ab Episcopo loci, si monasterium non sit exemptum, vel a præposito generali, vel a S. Pontifice, si de generalibus agatur. Usu tamen prævaluit ut superiores generales, præsertim qui Romæ degunt, censeantur confirmati a S. Pontifice, ex quo fuerit canonice electi.

Superiores ordinum religiosorum eligebantur olim in perpetuum, quod etiam nunc observatur in multis congregationibus, v. g. in societate Jesuitarum. Perpetuitas officii reputatur plurimum conferre ad bonum regimen societatum religiosarum; dat majorem stabilitatem regimini, removet animorum dubia et contentiones quorum sæpe enascitur occasio e nova futuri præsulis electione, juvat prælatum ad incipiendum et prosequendum efficaciori voluntate reformationem abusuum, et instaurationem disciplinæ. Quum tamen in rebus humanis sint plerumque ejusdem disciplinæ incommoda et utilitates, aliis in Congregationibus magis opportunum visum est præpositos generales et provinciales eligi ad tempus, puta ad triennium, ut servetur humilitas in regimine, et dimoveri ab officio queant, absque ulla commotione, qui minus idonei reperiuntur sustinendo oneri regiminis<sup>1</sup>.

Prælati inferiores, quales sunt provinciales et priores conventuum, aliquando nominantur et in suo officio constituuntur ab Abbate, seu a præposito generali, juxta regulas instituti, vel per indultum apostolicum; sed communius eliguntur, constituta semel provincia, a regularibus qui intra eandem provinciam commorantur, servato ordine præfixo.

II. Superiorissæ monialium electione nominantur, juxta re-

<sup>1</sup> Cf. Suarez, *de Religione*, t. IV, lib. II, cap. VII.

gulas quæ jure communi vel statutis peculiaribus uniuscujusque Congregationis, præscribuntur ad electionem.

1° Requiritur ætas quadragenaria, et ut professio facta sit ab octo annis: quod si vero nulla reperiatur in monasterio quæ has condiciones habeat, et difficile videatur aliam monialem ad officium ab alio monasterio educi, superiorissa eligi poterit ex iis quæ annum trigesimum excesserint, et quinque saltem annis post professionem recte vixerint. 2° Electio fit a professis choralibus, non a conversis, nisi aliter ferant statuta ordinis; requiritur majoritas absoluta suffragiorum, scrutinio secreto. 3° Episcopus jus habet præsidendi, una cum superiore regulari, electioni abbatissarum quæ præficiendæ sunt in monasterio regularibus subjecto; potest etiam alium sui loco deputare. « Is vero qui præsidet, Episcopus sive alius superior, claustra « monasterii non ingrediatur, sed ante cancellorum fenestellam, « vota singularum audiat, vel recipiat. » (Conc. Trid., cap. vii.) 4° Electio debet confirmari ab Episcopo vel a superiore respectivo; interea tamen, si opus sit, electa potest res sui monasterii administrare, ad mentem cap. *Indemnitatibus*, 45, DE ELECTIONE, in vi°.

Nihil determinatur jure communi, pro tempore quo durare debet auctoritas superiorissæ electæ. Aliquando eligitur in perpetuum; frequentius vero ad triennium, quo elapso tempore, superiorissæ vacare debent ab officio per triennium.

Ritus benedictionis abbatissarum, et consecrationis virginum, describuntur in *Pontificali*.

491. — III° Quæ auctoritas competat superioribus regularium?

Duplex distinguitur potestas in superioribus regularium; potestas *administrationis*, quæ directe emanat e statutis ordinis, et voto obedientiæ, quod religiosi in sua professione emittunt; potestas *jurisdictionis*, quæ procedit a primis pastoribus, et est participatio ipsiusmet potestatis clavium.

I. Vi potestatis *administrationis*, superiores, ac, pari jure,

superiorissæ regulares, jus habent 1° admittendi ad novitatum et ad professionem, servatis regulis sui instituti, quæ, præter alias condiciones, requirunt communiter ut admissio pronuntietur suffragio vocalium. 2° Regendi congregationem, et monasterium, vel conventum, in spirituali et in temporali; quod complectitur jus præcipiendi in virtute sanctæ obedientiæ, statuta condendi juxta formas regulis et constitutionibus ordinis præfinitas, ne superior plus juris sibi assumat quam constitutum fuit, officia ac prælaturas inferiores conferendi, invigilandi observantiæ disciplinæ regularis, demum bona temporalia administrandi, ad præscriptum sanctorum canonum de quibus in parte III<sup>a</sup> agetur. 3° Coercendi delinquentes monitionibus paternis, vel etiam, si opus sit, pœnis debitis, quales sunt privatio communionis, separatio a consortio fratrum, correptiones corporales<sup>1</sup>. 4° Incorrigibiles et contumaces ejiciendi e conventu, his tamen servatis conditionibus: 1<sup>a</sup> quod datum fuerit spatium sex mensium a die primæ monitionis, ut religiosus sibi consulat, immutando mores; 2<sup>a</sup> quod præpositus generalis, aut saltem provincialis, expulsionem decreverit, adhibitis in consilium sex ad minus religiosis gravioris auctoritatis, et de illorum assensu; 3<sup>a</sup> quod expulsio scriptis consignetur cum motivis, et Episcopo notificetur. Religiosus ejectus, quamdiu versatur extra monasterium, privatur jure habitum sui ordinis gestandi, et suspensus est ab exercitio sacrorum ordinum, quamdiu ad monasterium non redierit, quam suspensionem non debet Episcopus relaxare nec moderari<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> Cf. Constitutiones ordinis Carthusianorum, II<sup>a</sup> parte, cap. xxiv, xxv; — Regulam S. Benedicti, cap. xxii et seq.; — Dom Calmet, *Commentaires sur la règle de Saint-Benoît*.

<sup>2</sup> Cf. Benedictum XIV, *de Synodo*, lib. XIII, cap. xi, Ferraris, v° *Ejecti a religione*, ubi multa reperiuntur ex præscriptis Sanctæ Sedis, de processu conficiendo pro expulsionem religiosorum, deque agendi ratione istis religiosi indicta, donec iterum recipiantur in suo monasterio. Nonnulla sunt, inter prævias probationes antequam pronuntietur expulsio, quæ vix adduc possunt ad praxim, attentis hodiernis moribus: de carceratione præsertim loquimur.

Superiorissæ conventuum possunt pœnas memoratas indicere, non secus ac superiores regularium. Possunt etiam quibusdam monialibus interdicare communionem, quando transgressæ sunt regulam officinae charitatis in materia gravi, de quo sapienter animadvertit *Bossuet*: « Comme la mère supérieure ne peut accorder la communion au préjudice de la défense du confesseur, elle ne la peut refuser au préjudice de son commandement, si ce n'est qu'il fût arrivé, depuis la confession, quelque chose qui y obligeât, ou que le cas fût si grief, qu'elle eût sujet de présumer que la religieuse ne l'aurait pas exposé au confesseur. Dans ce cas, elle devra lui en parler et céder à son autorité, se réservant d'avertir les supérieurs majeurs... Pour ce qui regarde ce détail, on voit bien que le secret de la confession ne permet pas à l'Évêque d'y entrer, et qu'il doit seulement instruire le confesseur, en cas qu'il eût des maximes qui tendissent à éloigner trop légèrement de la fréquentation des sacrements. » (*Œuvres de Bossuet*, t. XXXIX, *Lettre LIII*, ed. Versal<sup>1</sup>.)

Quod vero ad pœnam exclusionis attinet, regula generalis est moniales non expelli e suo conventu, quamvis incorrigibiles videantur, quia periculosissima foret ejectio, et scandalis in detrimentum religionis obnoxia. Obstat aliunde lex clausuræ,

<sup>1</sup> Hic, data occasione, notabimus non approbari in constitutionibus sororum, regulas quibus præscribatur manifestatio conscientia facta superiorissæ, nisi quoad progressum in virtutibus et publicam regulæ transgressionem, uti recens animadvertebat S. Cong. super constitutionibus conventus Monialium Hispaniæ. Item hæc notavit in regulas alterius conventus Monialium Germaniæ: « Ob abusus qui irrepserunt, in præsens, S. C. minime solet approbare aperitionem conscientia superiorissæ; sed tantum permittitur ut sorores, si velint, pandere possint defectus in regulae observantia, et progressum quoad virtutem; de aliis enim, ab eis agendum est cum proprio confessario. » In aliis animadversionibus notatum est hanc aperitionem conscientia fieri debere non *obligatorie* sed *facultative*, et non admitti manifestationem conscientia factam superiorissæ per epistolam.

\* *Anolecta juris Pontificii*, an. 1560, col. 2896; an. 1861, col. 1052 et 1167; an. 1865, co 2069.

super qua nec superiorissa, nec Ordinarius loci, dispensare valet. Nihilominus tamen, si monialis vota solemniter professa, pacem cœnobii perturbet, sitque, ob suum durum ac inemendabile ingenium, impedimento quominus disciplina regularis servetur, recurrere fas est ad Sanctam Sedem, quæ non abnuat, necessitate rite comprobata, concedere facultates necessarias ad providendum communi bono monasterii *per monialis sæcularisationem, quæ sit loco expulsionis*, ut dicitur in indulto quod pro hujusmodi causa obtinuit a Gregorio XVI, anno 1841, Episcopus in Germania. Moniali ejectæ lex indicta fuit, ut vestes suum statum decentes semper gestet; ut cum parentibus commoretur, aut saltem domum inhabitet ab omni periculo morum tutam; denique ut vota integra servet, castitatis nempe, obedientia sub auctoritate Episcopi, ac parochi vigilantia, et paupertatis quantum sinit status virginis in sæculo degentis.

Potestas administrationis sufficit ad statum religiosum, attendente natura rerum; ea enim auctoritate suffulti, superiores valent convenienter regere suam communitatem, et singulis præcipere quæ ad finem intentum conducunt. Satis verisimile est priorum temporum monasteria fuisse instituta absque speciali jurisdictione communicata illorum præfectis: communiter enim monachi, etiam abbates, erant laici; et non apparet eosdem abbates jurisdictionem spiritualem exercuisse, dispensando super præceptis Ecclesiæ vel votis, aut ferendo censuras proprie dictas. (Suarez, tom. III, lib. II, cap. XVIII, n° 8.) Nihilominus tamen, si monasteria supponantur exempta a jurisdictione Episcoporum, qualia sunt a pluribus sæculis constituta, necessarium videtur ipsis attribui potestatem jurisdictionis; quia S. Pontifex non sufficeret ad providendum tot religionibus, monasteriis et domibus regularium, quæ indigent actibus jurisdictionis spiritualis.

492. — II. Huic necessitati indulset Sancta Sedes imperitendo jurisdictionem ordinariam fori interni et externi, superioribus communitatum regularium. Omnes scilicet Prælati

majores ordinum religiosorum proprie dictorum, *ecclesiasticam et quasi-episcopalem jurisdictionem obtinent*, ut dicitur in cap. *Abbatibus*, 3, DE PRIVILEGIIS, in VI<sup>o</sup>. Quoad provinciales et alios superiores locales, qui praelato subduntur, an et ipsi habeant etiam jurisdictionem quasi-episcopalem, nescimus. Affirmant non pauci; sed, nostro quidem sensu, non probant. Id sola ratione demonstrare nequeunt, cum superiores majores variis necessitatibus consulant delegando praelatis inferioribus facultates opportunas; aliunde nullum textum juris, qui hoc assertum adstruat, afferunt; et de jure consuetudinibus inducto nobis non constat. Quapropter nec affirmandum, nec negandum putamus in hac quaestione, cujus solutio dimittenda est singulorum ordinum statutis ac privilegiis approbatis, ut inde appareat quid possint superiores subordinati, quousque extendatur illorum jurisdictio.

Vi *jurisdictionis spiritualis*, praelati regulares possunt ex usu recepto, et privilegiis regularium exemptorum: 1<sup>o</sup> edicere decreta, juxta ordinis constitutionem, quae obligent in foro interno et externo, non secus ac decreta et mandata lata ab Episcopis; 2<sup>o</sup> dispensare super votis, vel ea commutare, prout sibi a S. Sede concessum fuerit; nisi autem indultum speciale obtinuerint, nihil juris habent in vota reservata S. Pontifici; 3<sup>o</sup> approbare presbyteros sibi subjectos ad audiendum confessiones sacramentales suorum subditorum, et eisdem alia sacramenta, Eucharistiae scilicet et Extremæ Unctionis, conferenda; insuper et casus reservare, sicuti consueverunt Episcopi; 4<sup>o</sup> dare litteras dimissoriales pro susceptione ordinum, de quo iterum mox dicemus; 5<sup>o</sup> ferre censuras suspensionis, interdicti, excommunicationis, eodem prorsus modo qui Ordinariis locorum competit<sup>1</sup>; 6<sup>o</sup> abbatibus insuper concessum fuit privilegium conferendi tonsuram et quatuor minores ordines. Ut autem hac facultate

<sup>1</sup> Quis ordo servandus sit in processu, quando superior intendit istiusmodi poenas in suum subditum ferre, dicitur in IV<sup>a</sup> parte, ubi *de Judiciis*.

utantur, necesse est ut constituentur in sacro presbyteratus ordine, et obtinuerint abbatialem benedictionem ab Episcopo, nisi Episcopus tribus vicibus rogatus cum *humilitate et devotione, sicut convenit, eos benedicere renuerit* (cap. *Statuimus*, 1, DE SUPPLENDA NEGLIGENTIA PRAELATORUM); aut nisi obtinuerint peculiare privilegium omnia peragendi, etiam non recepto benedictionis munere, quae competunt abbatibus benedictis. Limitatur potestas ad subditos regulares abbatis. Si aliis privilegio non comprehensis praesumat ordines conferre, ordinatio est illicita, tametsi valida: ordinatis opus erit *absolutione et rehabilitatione obtinenda a S. Pontifice*. Ita saepius definitum a S. Congregatione refert Benedictus XIV, *de Synodo*, lib. II, cap. XI, n<sup>o</sup>s 9-15.

Superiores congregationum saecularium, v. g. Congregationes sacerdotum Missionis a S. Vincentio, et Redemptoristarum a S. Alph. de Liguori, non habent communiter jurisdictionem spiritualem stricte sumptam, qualis datur Praelatis majoribus ordinum religiosorum proprie dictorum.

Est difficultas valde intricata, utrum Abbatissis competat jurisdictio spiritualis, eodem modo ac Praelatis Regularium. Communissima est apud theologos et canonum interpretes doctrina, moniales carere jurisdictione spirituali. (Cap. *Nova*, 10, DE PENIT. ET REMISS.) Pluribus quidem abbatissis commissum est exercitium quoddam juris cum in moniales, tum etiam in clericos sibi subjectos, quod non multum differre videtur ab illo quo potiuntur superiores regularium; eo enim usque progreditur ut valeant clericis conferre beneficia, et illos suspendere a suo officio. (Cap. *Dilecta*, 12, DE MAJORITATE ET OBED.) Inter alia citabimus privilegia abbatissae monasterii Cisterciensis de las Huelgas in Hispania, prope urbem Burgos, quae suam auctoritatem extendit in territorium *nullius* diocesis, in plura monasteria et villulas, ubi quaecumque praestare potest abbas jurisdictione quasi-episcopali gaudens, praeter facultatem actuum qui ordinem requirunt, ipsa facit, vel per se, vel per viros ecclesiasticos quos

deputaverit; iisdem juribus fruebatur abbatissa Fontis-Ebraldi quæ olim fuit caput, ac veluti prælata congregationis plurium monasteriorum. Hæc tamen non arguunt veram jurisdictionem: etenim 1<sup>o</sup> Institutio quam abbatissæ faciunt est mera collatio tituli et possessionis, quam haud raro olim permissam fuisse laicis alibi ostendimus (n<sup>is</sup> 293-294). 2<sup>o</sup> Quod ad suspensionem attinet quam forte abbatissa in clericos suo juri obnoxios ferret, dicemus non esse censuram proprie dictam, sed meram prohibitionem ne clerici sacrum faciant, aliosve actus sui muneris exerceant, cujus quidem interdictionis violatio non inducit irregularitatem.

Disciplinam canonicam eo modo interpretantur doctores, ne jurisdictio ecclesiastica videatur commissa fuisse monialibus. « Hoc nunquam fit secundum legem communem, et usum « Ecclesiæ; nec a S. Pontifice factum esse legimus, ait Card. « Petra, quia id non decet, et, licet non sit simpliciter « contra jus divinum aut naturale, est tamen illis minus consen- « taneum <sup>1</sup>. »

ARTICULUS VII. — DE AUCTORITATE EPISCOPORUM IN REGULARES ET CONGREGATIONES RELIGIOSAS <sup>2</sup>.

493. — I<sup>o</sup>. *Quæ sint origo et causæ exemptionis Regularium a jurisdictione Episcoporum?*

I. Canonistæ communiter tradunt omnia monasteria fuisse olim subjecta Episcopis in causis quæ ad jurisdictionem spiritualem attinebant; sed Episcopos minorem partem habuisse quoad ea quæ sunt regiminis proprii conventus; et paulatim monasteria

<sup>1</sup> Card. Petra, *Commentaria in Const.* iv Urbani IV, tom. III, pag. 187-194; — Gohard, tom. II, pag. 675 et seq.; — Hélyot, part. IV, chap. xii et xiii, *Ordre de Fontevault*; — Ferraris, v<sup>o</sup> *Abbatissa*.

<sup>2</sup> Cf. Fagnan, in cap. *Grave de Officio Ordinarii*. — Reiffenstuel, in tit. *DE OFFICIO ORDINARII*. — Hallier *Commentaria in ordinationes cleri Galliani circa regulares*; tom. VI, *Mémoires du clergé*.

magnam libertatem obtinuisse se suaque regendi propriis institutis.

Monasteria non erigebantur absque assensu et benedictione Episcopi, de quo statuit concilium Chalcedonense « nullum « usquam monasterium ædificari posse præter sententiam « ipsius civitatis Episcopi... Monachos qui sunt in regione et « civitate, episcopo subjectos esse... Civitatis autem Episcopus oportere eam quam par est monasteriorum curam « gerere <sup>1</sup>. »

Monasteriis canonice erectis, Episcopus loci plenam in ea habebat jurisdictionem spiritualem. Concilium Arelati celebratum versus annum 455, firmavit privilegia celeberrimi monasterii Lirinensis, ut scilicet « clerici atque altaris ministri, a nullo « nisi ab Episcopo Foro-Julieni, vel cui ipse injunxerit, ordi- « nentur: chrisma non nisi ab ipso speretur: neophyti ab eodem « confirmantur: peregrini clerici absque ipsius præcepto in « communionem, vel ad ministerium, non admittantur. Monas- « terii vero omnis laica multitudo ad curam abbatis pertineat, « neque ex ea Episcopus quidquam sibi vindicet, aut aliquem « ex illa clericum, nisi Abbate petente, præsumat...; laica omnis « congregatio ad solam ac liberam Abbatis proprii, quem « sibi ipsa elegerit ordinationem dispositionemque perti- « neat. »

Ultima hæc verba concilii referuntur ad regimen proprium Monasterii, et asserunt Prælati regularibus suam communitatem jus regendi propria auctoritate. Successu temporum similia privilegia concessa fuere, tum nonnullis in particulari monasteriis, tum etiam passim omnibus monasteriis quarumdam regionum, ut videre est ex actis concilii Carthaginensis, an. 554 habiti, sub Reparato Episcopo, ad statuendum de libertate monasteriorum, et concilii Romani III, sub S. Gregorio I, an. 601, in quo indictum fuit, « ut nullus Episcoporum præsumeret de

<sup>1</sup> Labbe, tom. IV, p. 757, can. iv concilii.